
1837
ARTES
VERITAS
LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
E PLURIBUS UNUM
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE

THEORIA MOTUS LUNAE

EXHIBENS

OMNES EIUS INAEQUALITATES

IN

ADDITAMENTO

HOC IDEM ARGUMENTUM ALITER TRACTATUR

SIMULQUE OSTENDITUR

QUEMADMODUM MOTUS LUNAE CUM OMNIBUS

INAEQUALITATIBUS

INNUMERIS ALIIS MODIS

REPRAESENTARI

ATQUE AD CALCULUM REUOCARI POSSIT

AUCTORE

L. EULERO

IMPENSIS

ACADEMIAE IMPERIALIS SCIENTIARUM

PETROPOLITANAE

ANNO 1753.

Academiam Scientiarum Petropolitanam triennio abhinc omnes, qui ingenii viribus confisi, ad examinandam Neutonianam de motu Lunae Theoriam, animum applicare vellent, inuitasse, atque ei, qui in hac parte tenuisset primas, praemii loco proposuisse nummos aureos centum; postmodum Celeberrimum Clairautum huius certaminis exstitisse victorem, publico Academicorum, qui Petropoli agunt, iudicio diuulgatum.

Celeberrimus Eulerus, Academiae Petropolitanae membrum honorarium, officii ſui eſſe exiſtimauit, ferre vna cum ceteris de illa Clairauti diſſertatione iudicium. Transmiſit ergo huc ad nos una cum ſua ſententia ampliſſimam de eodem argumento diſſertationem; quae quo celerius innoteſceret, viſum eſt Academiae Praeſidi, minoris Ruſſiae Hetmano Illuſtriſſimo Cyrillo Gregoridae, Comiti Raſumouio, eam tradere Academicis in ſolenni conuentu examinandam, ea fini, vt ſi ſuffragio Academicorum comprobata, dignaque iudicata foret, quae orbis eruditi proponeretur theatro, ea praelo quam maturrime ſubiiceretur; quandoquidem ille mos iam inde a principio obtinuit, vt, quae in publico coetu praeleguntur diſſertationes, eae vel ante ſolennem actum, vel paruulo intermiſſo ſpatio typis diuulgentur poſtea.

Cete-

Ceterum dissertatio illa constat magnam partem calculis, veris quidem illis et omnibus numeris absolutis, sed propter nimiam sui molem atque difficultatem auditu molestissimis: quae si recitarentur publice, periculum erat, ne auditorum animi auscultandis iis deficerent, neue Academia Summorum patientia Virorum abvti, caeterosque enicare odio videretur. Praeuidit hoc incommodum, prouiditque Illustrissimi Praesidis sapientia. Mandavit Astronomiae Professori V. C. Nicetae Popouio, cuius id temporis dicendi erat prouincia, vt prolixam illam Euleri dissertationem, omissis calculis, redigeret in compendium, et quae inde excepisset, auditorum causa recitaret publice. Quo quidem facto et auribus hominum consuluit, et tamen rerum capitum participes eos facere aequabili temperamento instituit: atque diſſertationem, ne quid forte naeuorum obreperet, ipſo auctore coram typis excudi aequum cenſuit.

Iam qui illo tempore interfuerant conuentui Academicorum ſolenni auditores, aequis nimis auribusque auſcultarunt excerpta recitantem Euleriana Popouium: eſt ergo quod ſperare liceat, et iis, quorum intereſt, vt qui hoc genere ſtudiorum maxime delectantur, factum iri ſatis ipſa diſſertatione. Datum Petropoli Nov. 1752.

INDEX

INDEX CAPITUM.

Caput

INTRO-

INTRODUCTIO.

Cum nullum ſit dubium, quin ſummi Newtoni Theoria, qua motum Planetarum feliciſſimo cum ſucceſſu certis legibus adſtrinxit, plurimum ad motum Lunae accuratius determinandum contulerit, maximi ſane in Aſtronomia momenti eſt quaeſtio: vtrum haec Newtoni Theoria omnino ſit ſufficiens omnibus motus inaequalitatibus, quae in Luna obſeruantur, exactiſſime explicandis nec ne? Quanquam autem a Newtoni aſſeclis plerumque affirmari ſolet, nullam in motu Lunae obſeruari inaequalitatem, cuius ratio in iſta Theoria non contineatur; tamen tantum abeſt, vt hic conſenſus a quoquam perſpicue ſit monſtratus, vt potius applicatio huius Theoriae ad Lunam tantis implicetur calculi difficultatibus, quibus penitus euoluendis vires ingenii humani vix ſufficere videntur. Plurimae quidem adhuc prodierunt Tabulae Lunares, quae ex Theoria Newtoniana deductae perhibentur, ſed praeterquam quod ſaepius ultra 5′ ab obſeruationibus diſcrepent, earum conuenientia cum Theoria ipſa neutiquam eſt euicta; quin potius pleraeque Tabulae inaequalitatum non tam Theoriae quam obſeruationibus ſunt ſuperſtructae. Huiusmodi ergo tabularum ſiue conſenſus ſiue diſſenſus cum obſeruationibus neque ad Theoriam Newtonianam pleniſſime confirmandam, neque ad eam infringendam allegari

gari poteſt: nam quatenus iſtae tabulae obſeruationibus ſatisfaciunt, hoc non ſoli Theoriae eſt tribuendum; quatenus autem cum obſeruationibus minus conueniunt, hoc ne Theoriae quidem imputari poterit, propterea quod iſtae Tabulae non ſoli Theoriae innituntur.

Quaeſtio itaque, cujus mentionem feci, recte enodari nequit, niſi ante eiusmodi Tabulae exhibeantur, quae ex ſola Theoria, nullis obſeruationibus in ſubſidium vocatis, ſint formatae; tum enim demum ex huiusmodi Tabularum collatione cum ingenti obſeruationum ſummo ſtudio inſtitutarum copia diiudicare licebit, vtrum Theoria omnibus obſeruationibus reſpondeat, an vero correctione quapiam indigeat. Non difficile quidem eſt ex principiis mechanicis motum Lunae aequationibus analyticis complecti; quoniam autem hae aequationes plures variabiles inter ſe permixtas continent, atque adeo differentialibus ſecundi ordinis implicantur, earum reſolutio maximis difficultatibus eſt obnoxia; et quoniam alio modo niſi per approximationem ſuſcipi non poteſt, vtcunque inſtituatur, ſemper non leue dubium remanet, vtrum partes, quae in calculo ſunt neglectae et praetermiſſae, nihil, quod in motu Lunae eſſet notabile, efficere potuerint. Hoc modo explicatio motuum Lunae tota ad ſolam Analyſin transfertur, ac difficultates, quibus premitur, inde oriuntur, quod Analyſis nondum ſatis eſt exculta.

Cum igitur Theoria Newtoniana hoc principio latiſſime patente innitatur, quod omnia corpora coeleſtia ſe mutuo attrahant in ratione reciproca duplicata diſtantiarum,

rum, si motum Lunae secundum hanc Theoriam definire velimus, vires erunt spectandae omnes, quibus Luna sollicitatur. Atque inter has vires primaria est ea, qua ad terram vrgetur, quae si sola adesset, terraque quiesceret, Luna in ellipsi perfecta secundum regulas Keplerianas motum suum circa terram absolueret. At cum Luna praeterea aeque ac terra ipsa etiam ad solem trahatur, hac vi motus ille regularis non mediocriter perturbabitur: atque haec vis a sole profecta omnium difficultatum, quae in determinatione motus Lunae offenduntur, causa est existimanda. Reliquae enim vires, quibus forte Luna secundum Theoriam Newtoni ad reliquos planetas vrgeri deberet, tam sunt exiguae, vt effectus inde oriundus merito pro nihilo haberi queat.

Solas ergo vires solis ac terrae in computum duci oportet, si motum Lunae secundum Theoriam definire velimus, atque cum ex his viribus formulae analyticae fuerint erutae, quae motum Lunae complectantur, omne studium in his formulis ita euoluendis erit impendendum, vt inde ad quoduis tempus propositum locus Lunae assignari, ac more apud Astronomos solito secundum longitudinem et latitudinem definiri queat. Hinc porro Tabulae Astronomicae pro motu Lunae erunt condendae, quibus omnes inaequalitates tam in longitudine quam in latitudine exhibeantur, ex quibus si pro cujusuis obseruationis momento locus Lunae computetur, consensus vel dissensus calculi ab obseruationibus Theoriam vel confirmabit, vel ejus defectum declarabit. Neque tamen Theoria sola hujusmodi Tabulis construendis sufficit, sed quaedam elementa extrinſecus ab obſeruationibus aſſumi oportet, quae ſunt 1°. Excentricitas orbitae Lunaris, quae ſalua theoria vel major vel minor eſſe potuiſſet; pendet enim a motu Lunae primitus impreſſo, quem Theoria non determinat, ſed tanquam cognitum aſſumit. 2°. Locus Lunae medius pro quapiam Epocha propoſita, qui pariter ex obſeruationibus eſt concludendus. 3°. Locus Apogei orbitae Lunaris pro Epocha quadam data. 4°. Tempus periodicum Lunae ſecundum motum medium, quod pendet a diſtantia Lunae media a Terra, ideoque ex ſola Theoria definiri nequit. 5°. Locus nodorum Lunae pro Epocha quadam data: et 6to denique inclinatio media orbitae Lunaris ad planum Eclipticae.

His autem ſex elementis per obſeruationes definitis reliqua omnia, quibus ad locum Lunae pro quouis tempore aſſignandum opus eſt, ex ſola Theoria ſunt petenda; quae primo ad quoduis tempus locum Apogei eiusque ideo motum verum praebere debet, vt inde ex loco Lunae medio eius anomalia media colligi queat. Deinde Theoria quoque omnes correctiones ſeu Proſtaphaereſes, quae loco Lunae medio vel additae vel ſublatae eius locum verum exhibeant, ſuppeditare debet; atque iſtae correctiones, quae motus inaequalitates appellari ſolent, partim ab Anomalia media Lunae, partim ab eius Phaſi ſeu elongatione a ſole, partimque ab Anomalia ſolis media pendent, ex quo triplici fonte numerus inaequalitatum in immenſum augetur. Porro etiam Theoria motum nodi eiusque omnes inaequalitates indicare tenetur, ac denique etiam pro quouis tempore orbitae Lunaris veram inclinationem

da

ad eclipticam, vt inde eius latitudinem veram eruere liceat.

Cum autem, vt iam innui, nemo adhuc omnes inaequalitates, quae in motu Lunae reperiuntur, ex Theoria elicuerit, vt ex iis iudicium ferri possit, quantum haec Theoria cum obseruationibus conueniat; etsi nullum est dubium quin discrimen, si quod deprehenderetur, admodum paruum sit futurum: iam pridem haec quaestio ex solo motu Apogei dirimi est coepta, dum aliis motus Apogei ex obseruationibus cognitus magnopere a Theoria discrepare est visus, alii autem etiam hoc loco pulcerrimum consensum Theoriae et veritatis iactauerunt. Mirum autem est, ipsum Newtonum nihil circa motum Apogei ex Theoria statuisse, sed eum ex solis obseruationibus in calculum transtulisse, cum tamen motum nodorum summa sagacitate ex Theoria elicuisset, atque veritati consentaneum ostendisset. Cur igitur motum Apogei plane silentio praeterierit, nulla alia ratio subesse videtur, nisi quod animaduerterit hunc motum, prouti ex Theoria prodiret, obseruationibus parum fore conformem. Ex iis enim, quae Newtonus in suo immortali opere de motu absidum in genere tradidit, non admodum difficile videtur motum apogei Lunae definire: verum hic praeter expectationem euenit, vt motus apogei annuus vix 20° superans reperiatur, cum tamen ex obseruationibus constet, Apogeum Lunae interuallo unius anni vltra 40° promoueri.

Siue autem ista motus Apogei quantitas 20° legitime sit ex Theoria deriuata, siue minus; consideratio Apogei tutissimum praebet remedium quaestionem de sufficientia

Theoriae Newtonianae decidendi. Quamuis enim ex Theoria inaequalitas quaepiam in ipſo motu Lunae aliquot minutis ſecundis vel etiam primis maior minorue prodiret, quam experientia monſtraret, tamen tantilla differentia merito vel leui cuipiam errori in obſeruationibus, vel vitio in approximatione commiſſo tribueretur; quandoquidem aliunde certum eſt Theoriam Newtonianam non admodum a veritate recedere. At longe aliter eſt comparata ratio motus Apogei: quodſi enim vires Lunam ſollicitantes tantillum a Theoria Newtoniana diſcrepent, vt ex iis in ipſo motu Lunae vix perceptibile diſcrimen naſceretur, tamen inde in motu Apogei annuo differentia plurium graduum oriri poterit. Quae tanta differentia cum nulli errori vel obſeruationum vel ipſius calculi, ſiquidem omni cura inſtituatur, tribui queat, inueſtigatio motus apogei certiſſimum ſuppeditat criterium iudicandi, vtrum quaepiam Theoria veritati ſit conſentanea nec ne?

Quodſi ergo calculo rite adminiſtrato Theoria Newtoni reperiatur tantum Apogei Lunaris motum exhibere, quantus per obſeruationes deprehenditur, ſcilicet ultra 40° quotannis; fortius certe argumentum, quo veritas hujus Theoriae indubie demonſtretur, deſiderari nequit. Sin autem contra eueniat, vt progreſſio Apogei annua ex Theoria rite deriuata notabiliter a 40° deficiat, hinc certo erit concludendum Theoriam Newtonianam correctione quapiam indigere, neque vires, quibus Luna reuera ſollicitatur, exactiſſime huic Theoriae eſſe conformes.

Verum haec ipſa quaeſtio, vtrum Theoria Newtoniana ad verum apogei Lunae motum perducat nec ne? eſt profunfundiſſimae indaginis, atque ſummam in calculo circumſpectionem ac ſollertiam requirit. Quanquam enim ex principiis generalibus, vnde vulgo motus abſidum definiri ſolet, ſatis luculenter ſemiſſis tantum pro motu Apogei Lunae elicitur; tamen quoniam in calculo plures termini, qui in determinationem motus Lunae ingrediuntur, ob paruitatem ſunt reiecti, merito dubitatio ſuboritur, num hi ipſi termini, ſi eorum ratio eſſet habita, non iſtum defectum compenſare valuerint? Quin etiam non defuere Geometrae, qui conſenſum huius Theoriae cum vero Apogei motu demonſtrare ſunt conati: verum plerumque non difficile erat paralogiſmum in ipſorum ratiociniis deprehendere. Maximam autem hoc loco attentionem meretur iudicium profundiſſimi Geometrae Clairaut, qui cum primum validiſſimis argumentis ſtatuiſſet, Newtoni Theoriam non vltra dimidium veri apogei Lunaris motus ſuppeditare, ſubito in contrariam abiit ſententiam ſtatuens hanc Theoriam elegantiſſime cum veritate conſpirare; neque certe tantae perſpicaciae Vir a priſtina ſententia, quam omni ſtudio propugnauerat, receſſiſſe eſt putandus, niſi firmiſſimis argumentis eo eſſet adactus.

Cum autem omnes rationes, quae Ipſum ad hanc retractationem impulerint, nondum publice expoſuerit, liceat mihi quidem, qui ſemper contrariae ſententiae fui addictus, tantiſper arduam hanc quaeſtionem tanquam nondum deciſam ſpectare, donec per propriam inueſtigationem inuenero, quid de ea ſit ſtatuendum. Poſtquam enim iam a longo temporis interuallo plurimum ſtudii in indagatione motus Lunae conſumſiſſem, ac variis methodis inſiſtens

ſemper

ſemper concluſionem Theoriae Newtonianae minus fauentem eſſem adeptus; quam tamen pro rite demonſtrata venditare non eram auſus, propterea quod approximatione eſſem vſus, ac ſemper ſuſpicio quaedam ratione terminorum praetermiſſorum remaneret: nuper in aliam incidi viam hanc inueſtigationem ſuſcipiendi, quae mihi multo certior videtur, ita vt per eam nulla dubitatione interiecta ad veritatem penetrare confidam. Ne autem ſi forte Theoriam Newtonianam minus ſufficientem inuenero, calculum ſecundum aliam Theoriam de nouo inſtituere cogar, ſtatim meam inueſtigationem in latiori ſenſu exordiar, viresque quibus Luna ad terram ſollicitatur, non exacte ſed proxime tantum quadratis diſtantiarum reciproce proportionales aſſumam: deinceps ſcilicet innoteſcet, vtrum haec aberratio a regula Newtoniana locum habeat nec ne? Calculum autem ita adornabo, vt quicquid euenerit, non ſolum verum apogei motum aſſequar, ſed etiam omnes Lunae inaequalitates inde elicere valeam, quas deinceps Aſtronomorum more tabulis complecti licebit.

Primum ergo problema in latiſſimo ſignificatu concipiam, vt corporis a viribus quibuscunque ſollicitati motum ſim inueſtigaturus: deinde vires, quibus Luna actu vrgeri cenſenda eſt, in calculum introducam, et aequationes Lunae motum determinantes exhibebo. Has porro aequationes variis modis in alias formas transmutabo, donec eas eo perduxero, vbi ad finem propoſitum maxime accommodatae videbuntur: quo cum peruenero, tandem tam motum Apogei, quam cunctas Lunae inaequalitates motus ex calculo deriuare ſtudebo.

CAPUT

CAPUT I.

DE MOTU CORPORIS A VIRIBUS QUIBUSCUNQUE SOLLICITATI.

§. 1.

Quoniam corpus a viribus quibuscunque sollicitari ponimus, fieri potest, vt eius motus non in eodem plano absoluatur. Hinc ad ejus motum per calculum ita repraesentandum, vt ad quoduis tempus verus locus, in quo corpus versabitur, assignari queat, conueniet corporis motum ad planum quoddam fixum pro lubitu assumtum referri. Exhibeat igitur Tabula hoc planum, atque corpus iam versetur extra hoc planum in puncto L, vnde ad planum demittatur perpendiculum L M; eritque punctum M locus corporis ad planum relatus. Quod si ergo ad quoduis tempus propositum hunc corporis locum relatum M, simulque eius a plano distantiam L M indicare valeamus, verus corporis locus L ad hoc tempus innotescet. Fig. 1.

§. 2. Ad locum autem puncti M commodius determinandum, assumamus in plano rectam quandam fixam CQ pro axe, ita vt ducta ex M ad hanc rectam perpendiculari M P, locus puncti M more apud Geometras recepto per coordinatas orthogonales definiatur. Assumto ergo porro in axe puncto quodam fixo C, vnde abscissae C P computentur, erit P M applicata puncto M respondens, & ipsum punctum L determinabitur per tres coordinatas inter se normales CP, PM & ML.

M L. Cum igitur praesenti temporis momento corpus in L versari ponatur, vocentur istae tres coordinatae eo spectantes:

$$CP = p; \quad PM = q \quad \text{et} \quad ML = r$$

elapso autem temporis elemento, quod per dt indicemus, coordinatae ternae tum locum corporis indicantes erunt:

$$p + dp; \quad q + dq; \quad \text{et} \quad r + dr.$$

§. 3. Quaecunque nunc fuerint vires, quibus corpus sollicitatur, eae semper per cognitam virium resolutionem reduci poterunt ad ternas vires secundum directiones ternarum coordinatarum vrgentes. Ponamus ergo vim $= P$, qua corpus in L secundum directionem ipsi P C parallelam trahitur: eam porro vim $= Q$, qua corpus secundum directionem ipsi M P parallelam trahitur: eamque denique vim $= R$, qua corpus secundum directionem L M sollicitatur. Has scilicet vires ita directas concipio, vt si corpus earum actioni libere obediret, valores coordinatarum p, q, r inde diminuerentur. His positis, ex principiis Mechanicae constat, si elementum temporis dt pro constanti assumatur, motum corporis his tribus formulis differentio-differentialibus determinari

$$\text{I. } ddp = -\tfrac{1}{2} P dt^2; \quad \text{II. } ddq = -\tfrac{1}{2} Q\, dt^2; \quad \text{III. } ddr = -\tfrac{1}{2} R dt^2.$$

§. 4. Verum hae coordinatae ad vsum astronomicum, ad quem hic potissimum respicimus, non satis sunt accommodatae. Nam si spectatorem in C constitutum assumimus, locus L, vbi corpus cernetur, commodissime me per quantitatem rectae C M, et angulum Q C M vna cum angulo M C L repraesentatur: atque si tabula planum eclipticae referat, rectaque C Q ad principium arietis sit directa, angulus Q C M in Astronomia vocari solet sideris longitudo, angulus M C L vero eius latitudo, et recta C M eius distantia curtata. Vocemus ergo porro:

I. Distantiam curtatam seu rectam C M $= x$

II. Longitudinem seu angulum Q C M $= \phi$

III. Latitudinem seu angulum M C L $= \psi$

ac posito constanter sinu toto $= 1$, erunt valores coordinatarum ante adhibitarum:

$CP = p = x \cos \phi$; $PM = q = x \sin \phi$ & $ML = r = x \operatorname{tang} \psi$ atque distantia corporis vera a puncto C erit $CL = x \sec. \psi = \frac{x}{\cos \psi}$.

§. 5. Sumtis nunc differentialibus more consueto obtinebimus:

$$dp = dx \cos \phi - x d\phi \sin \phi;\ dq = dx \sin \phi + x d\phi \cos \phi$$

$$\text{et } dr = dx \operatorname{tang} \psi + \frac{x d\psi}{\cos \psi^2}$$

atque hinc denuo differentialibus sumendis reperietur,

$$ddp = ddx \cos \phi - 2dx d\phi \sin \phi - x dd\phi \sin \phi - x d\phi^2 \cos \phi$$

$$ddq = ddx \sin \phi + 2dx d\phi \cos \phi + x dd\phi \cos \phi - x d\phi^2 \sin \phi$$

$$ddr = ddx \operatorname{tang} \psi + \frac{2dx d\psi}{\cos \psi^2} + \frac{x dd\psi}{\cos \psi^2} + \frac{2x d\psi^2 \sin \psi}{\cos \psi^3}$$

Binae priores formulae rite combinatae suppeditabunt sequentes multo concinniores

$$ddp \cos\phi + ddq \sin\phi = ddx - x d\phi^2$$

$$ddq \cos\phi - ddp \sin\phi = 2 dx d\phi + x dd\phi$$

sicque habebitur:

$$ddx - x d\phi^2 = -\tfrac{1}{2} dt^2 \; (P \cos\phi + Q \sin\phi)$$

$$2dx d\phi + x dd\phi = -\tfrac{1}{2} dt^2 \; (Q \cos\phi - P \sin\phi)$$

Tertiam vero aequationem deinceps magis tractabilem efficiemus.

§. 6 Manifestum autem est formulam $P \cos\phi + Q \sin\phi$ praebere vim ex viribus P et Q compositam, qua corpus in L secundum directionem rectae MC vrgetur, formulam vero alteram $Q \cos\phi - P \sin\phi$ exprimere vim ex eadem resolutione secundum directionem MQ ad MC normalem directam. Cum igitur hae duae vires assumtis binis P et Q aequiualeant, ponamus esse

I. Vim corpus L secundum MC trahentem $= V$

II. Vim corpus L secundum MQ trahentem $= T$

manente tertia vi corpus ad planum normaliter secundum LM vrgente $= R$. Atque sequentes habebimus aequationes:

I. $2 dx d\phi + x dd\phi = -\tfrac{1}{2} T dt^2$

II. $ddx - x d\phi^2 = -\tfrac{1}{2} V dt^2$

III. $ddx \tang\psi + \frac{2dx d\psi}{\cos\psi^2} + \frac{x dd\psi}{\cos\psi^2} + \frac{2x d\psi^2 \sin\psi}{\cos\psi^3} = -\tfrac{1}{2} R dt^2$

§. 7. Quo autem effectum tertiae vis R commodius ad calculum reuocemus, more apud Astronomos recepto contemplemur planum, in quo corpus durante elemento

elemento temporis dt mouetur, et quod ſimul per punctum C tranſeat. Hoc igitur planum cum plano aſſumto interſectionem alicubi formabit, quae ſit recta C☊, ac linea nodorum appellari ſolet; ſicque erit ☊CL planum orbitae, in qua corpus L praeſenti inſtanti mouetur, et angulus, quo hoc planum ☊CL ad planum fixum QCM inclinatur, vocatur inclinatio orbitae ad eclipticam pro tempore praeſenti. Cum igitur ex his duabus rebus latitudo ſideris definiri ſoleat, ponamus.

Longitudinem nodi aſcendentis ſeu angulum QC☊ $= \pi$ ac inclinationem orbitae ☊CL ad eclipticam $= \varrho$ atque loco latitudinis ψ has duas quantitates π et ϱ definire oportebit.

§. 8. Tertia ergo aequatio in duas diſpertietur, ad quas inueniendas ex M et L ad lineam nodorum C☊ ducantur normales MN et LN, eritque angulus LNM menſura inclinationis orbitae ad eclipticam; ideoque LNM $= \varrho$. Tum vero ob angulum ☊CM $= \Phi - \pi$ et CM $= x$ erit:

$$CN = x \operatorname{cof}(\Phi - \pi) \text{ et } MN = x \operatorname{fin}(\Phi - \pi)$$

hinc elicietur ML $= x \operatorname{tang} \varrho \operatorname{fin}(\Phi - \pi)$, vnde prodit tang MCL $= \operatorname{tang} \psi = \operatorname{tang} \varrho \operatorname{fin}(\Phi - \pi)$, quae formula inſeruit latitudini ψ ex cognita inclinatione ϱ et loco nodi eiusue longitudine π inueniendae, ſi quidem iam cognita fuerit longitudo ſideris Φ. Quoniam autem ſidus elemento temporis dt in eodem plano manet, in differentiatione formulae $\operatorname{tang} \psi = \operatorname{tang} \varrho \operatorname{fin}(\Phi - \pi)$,

 quanti-

quantitates π et ϱ tanquam constantes spectari poterunt, eritque idcirco.

$$\frac{d\,\psi}{\cos\psi^2} = d\,\Phi \text{ tang } \varrho \cos(\Phi - \pi)$$

§. 9. Interim tamen nihil impedit, quominus in eadem differentiatione quantitates π et ϱ tanquam variabiles tractemus, quales reuera esse possunt successu temporis; vnde orietur haec aequatio:

$$\frac{d\,\psi}{\cos\psi^2} = \frac{d\,\varrho}{\cos\varrho^2} \sin(\Phi - \pi) + (d\Phi - d\pi) \text{ tang } \varrho \cos(\Phi - \pi)$$

hicque valor ipsius $\frac{d\,\psi}{\cos\psi^2}$ collatus cum praecedente praebebit hanc aequalitatem:

$$\frac{d\,\varrho}{\cos\varrho^2} \sin(\Phi - \pi) = d\pi \text{ tang } \varrho \cos(\Phi - \pi)$$

vnde obtinemus $\frac{d\,\varrho}{\sin\varrho\cos\varrho} = \frac{d\pi\cos(\Phi - \pi)}{\sin(\Phi - \pi)} = \frac{d\,\pi}{\text{tang}(\Phi - \pi)}$.

Cum iam sit $\frac{d\,\varrho}{\sin\varrho\cos\varrho} = \frac{d.\text{ tang }\varrho}{\text{tang }\varrho} = d.\,l\text{ tang }\varrho$, erit

$$d.\,l\text{ tang }\varrho = \frac{d\,\pi}{\text{tang }(\Phi - \pi)}$$

ex quo, si longitudo nodi iam fuerit reperta, sine labore inclinatio ad eclipticam ϱ investigari poterit.

§. 10. Differentiemus formulam primo inuentam

$$\frac{d\,\psi}{\cos\psi^2} = d\,\Phi \text{ tang } \varrho \cos(\Phi - \pi)$$

iterum, et cum sit $d.\text{ tang }\varrho = \frac{d\pi \text{ tang }\varrho \cos(\Phi - \pi)}{\sin(\Phi - \pi)}$

erit:

erit:

$$\frac{dd\psi}{\cos\psi^2} + \frac{2d\psi^2 \sin\psi}{\cos\psi^3} = dd\Phi \tang \varrho \cos(\Phi - \pi)$$

$$+ \frac{d\Phi d\pi \tang\varrho \cos(\Phi-\pi)^2}{\sin(\Phi-\pi)} - d\Phi(d\Phi - d\pi)\tang\varrho \sin(\Phi-\pi)$$

seu $\frac{dd\psi}{\cos\psi^2} + \frac{2d\psi^2 \sin\psi}{\cos\psi^3} = dd\Phi \tang\varrho \cos(\Phi-\pi)$

$$+ \frac{d\Phi d\pi \tang\varrho}{\sin(\Phi-\pi)} - d\Phi^2 \tang\varrho \sin(\Phi-\pi)$$

qui valores pro ψ in tertia aequatione superiori substituti suppeditabunt:

$$ddx \tang\varrho \sin(\Phi-\pi) + 2dxd\Phi \tang\varrho \cos(\Phi-\pi) + xdd\Phi \tang\varrho \cos(\Phi-\pi)$$

$$+ \frac{xd\Phi d\pi \tang\varrho}{\sin(\Phi-\pi)} - xd\Phi^2 \tang\varrho \sin(\Phi-\pi) = -\tfrac{1}{2} R dt^2$$

quae transmutatur in hanc:

$$(ddx - xd\Phi^2)\tang\varrho \sin(\Phi-\pi) + (2dxd\Phi + xdd\Phi)\tang\varrho \cos(\Phi-\pi)$$

$$+ \frac{xd\Phi d\pi \tang\varrho}{\sin(\Phi-\pi)} = -\tfrac{1}{2} R dt^2$$

§. 11. Commode, hic euenit vt in ista formula illae ipsae expressiones differentio-differentiales $ddx - xd\Phi^2$ et $2dxd\Phi + xdd\Phi$ occurrant, quae ex actione duarum reliquarum virium sunt enatae: vnde si formularum harum valores aequiualentes $-\tfrac{1}{2} V dt^2$ et $-\tfrac{1}{2} T dt^2$ substituamus, impetrabimus

$$-\tfrac{1}{2} V dt^2 \tang\varrho \sin(\Phi-\pi) - \tfrac{1}{2} T dt^2 \tang\varrho \cos(\Phi-\pi) + \frac{xd\Phi d\pi \tang\varrho}{\sin(\Phi-\pi)} = -\tfrac{1}{2} R dt^2$$

qua differentiale $d\pi$, quo promotio elementaris lineae nodorum indicatur, ita determinabitur, vt sit

$$d\pi = \tfrac{1}{2} dt^2 . \frac{\sin(\Phi-\pi)}{xd\Phi} \left(V \sin(\Phi-\pi) + T \cos(\Phi-\pi) - \frac{R}{\tang\varrho}\right)$$

Deinde

Deinde cum ſit $d.\,l\,\mathrm{tang}\,\varrho = \frac{d\pi}{\mathrm{tang}\,(\phi - \pi)}$, erit

$$d.l\,\mathrm{tang}\,\varrho = \tfrac{1}{2}dt^2.\,\frac{\mathrm{cof}(\phi-\pi)}{x\,d\phi}\left(V\,\mathrm{fin}(\phi-\pi)+T\,\mathrm{cof}(\phi-\pi)-\frac{R}{\mathrm{tang}\,\varrho}\right)$$

Duas ergo has aequationes loco ſuperioris tertiae, ex qua latitudo ψ inueniri debebat, in calculum introduci conueniet; inuentis enim π et ϱ erit $\mathrm{tang}\,\psi = \mathrm{tang}\,\varrho\ \mathrm{fin}\,(\phi - \pi)$.

§. 12. Hinc patet lineam nodorum nunquam eſſe mobilem, quin ſimul inclinatio ϱ variationi ſit obnoxia. Eadem enim vis $V\,\mathrm{fin}\,(\phi-\pi) + T\,\mathrm{cof}\,(\phi-\pi) - \frac{R}{\mathrm{tang}\,\varrho}$, quae lineae nodorum motum imprimit eius longitudinem π immutando, ſimul in inclinatione ϱ variationem generat. Nulli autem plane immutationi tam linea nodorum, quam inclinatio erunt ſubjectae, ſi vis illa euaneſcat, quod euenit ſi media directio omnium virium corpus L ſollicitantium in ipſum planum ☊CL, in quo corpus ſemel moueri coepit, perpetuo incidat; hicque eſt caſus, quo corpus continuo in eodem plano moueri pergit. Generatim ergo corporis a tribus viribus V, T, R ſollicitati motus quatuor ſequentibus aequationibus determinatur.

I. $2\,dx\,d\phi + x\,dd\phi = -\tfrac{1}{2}\,T\,dt^2$

II. $ddx - x\,d\phi^2 = -\tfrac{1}{2}\,V\,dt^2$

III. $d\pi = \tfrac{1}{2}dt^2.\,\frac{\mathrm{fin}\,(\phi-\pi)}{x\,d\phi}\left(V\,\mathrm{fin}(\phi-\pi)+T\,\mathrm{cof}(\phi-\pi)-\frac{R}{\mathrm{tang}\,\varrho}\right)$

IV. $d.\,l\,\mathrm{tang}\,\varrho = \frac{d\pi}{\mathrm{tang}\,(\phi - \pi)}$

quas ergo quouis caſu oblato reſolui oportet.

CAPUT

CAPUT II.

INUESTIGATIO VIRIUM LUNAM SOLLICITANTIUM.

§. 13.

Cum Lunae motus, qualis ex centro terrae ſpectaretur, definiri debeat, ſit C terrae centrum, ad quod etiam praecipua vis, qua Luna vrgetur, directa concipitur; atque tabula exhibeat planum eclipticae, in quo nunc quidem Sol exiſtat in S, Luna vero ſupra hoc planum verſetur in L latitudinem habens borealem, vnde ad planum eclipticae perpendiculum demittatur LM. Hinc ductis rectis CL, CM, CS, itemque CQ initium arietis verſus, vnde longitudines computari ſolent, fiant ſequentes denominationes. Fig. 2.

1. Longitudo Solis ſeu angulus ACS $= \theta$
2. Longitudo Lunae ſeu angulus ACM $= \phi$
3. Latitudo Lunae ſeu angulus MCL $= \psi$
4. Diſtantia Solis a Terra CS $= y$
5. Diſtantia Lunae a Terra curtata CM $= x$

§. 14. Sit iam AM proiectio orbitae lunaris in planum eclipticae; ac planum, in quo Luna nunc mouetur, per centrum terrae ductum, planum eclipticae interſecet ſecundum rectam C☊, quae lineam nodorum pro tempore praeſenti exhibebit: ac terminus ☊ quidem nodum aſcendentem referet, ſiquidem lunam ſecundum regionem AM promoueri ponamus. Quod ſi ergo porro vocemus

6. Longitudinem nodi asc: $AC☊ = \pi$

7. Incl. orbitae Lunae ad eclipticam $= \rho$

hinc latitudo Lunae geocentrica ita definietur, vt sit $\tang \psi = \tang. \sin(\phi - \pi)$. Vnde incrementum latitudinis $d\psi$ commode assignabitur, cum sit, vt supra vidimus $d. \tang \psi = \frac{d\psi}{\cos \psi^2} = d\phi \tang \rho \cos(\phi - \pi)$: ac praeterea ex motu nodi cognito variatio inclinationis ita definietur, vt sit $d. \tang \rho = \frac{d\pi \tang \rho}{\tang(\phi - \pi)}$, seu $d\rho = \frac{d\pi \sin \rho \cos \rho}{\tang(\phi - \pi)}$.

§. 15. Cum nunc primum Luna ad centrum terrae C secundum directionem LC attrahatur, sit haec vis $= M$. Deinde sit vis, qua Luna ad solem S vrgetur secundum $LS = N$; atque his duabus viribus Luna proprie vrgeri censenda est. Praeterea vero cum Terra ipsa, ad quam motum Lunae referimus, in motu versetur, ut eam tanquam quiescentem considerare queamus, non solum motum Terrae, sed etiam vires, quibus Terra vrgetur, toti mundo, secundum plagas oppositas imprimi concipiamus. Sit igitur vis qua Terra ad Solem vrgetur $= S$, & vis qua ad Lunam trahitur $= L$, his viribus contrario modo in lunam translatis, Luna sequentibus viribus sollicitata habebitur

1. Secundum directionem LC vi $= M + L$

2. Secundum directionem LS vi $= N$

3. Secundum directionem MR ipsi SC parallelam vi $= S$.

§. 16. Hunc

§. 16. Nunc primo has vires ad ternas directiones supra assumtas MC, MQ et LM reducamus; ac primo quidem vis $M + L$ dabit

pro directione MC vim $= (M + L) \cos \psi$

pro directione LM vim $= (M + L) \sin \psi$

Secunda vis N vero dabit

pro directione LM vim $= \frac{LM}{LS} . N$

pro directione MS vim $= \frac{MS}{LS} . N$

at haec vlterius resoluta ducta Mr ipsi CS parallela dabit:

pro directione MC vim $= \frac{MC}{LS} . N$

pro directione Mr vim $= \frac{CS}{LS} . N$

Haec postrema a vi tertia S subtracta relinquet vim $S - \frac{CS}{LS} . N$, qua Luna secundum directionem MR sollicitatur, quae ob angulum $CMR = SCM = \phi - \theta$ dabit

pro directione MC vim $= (S - \frac{CS}{LS} . N) \cos (\phi - \theta)$

pro directione Mq vim $= (S - \frac{CS}{LS} . N) \sin (\phi - \theta)$

vbi directio Mq contraria est directione MQ.

§. 17. His iam viribus cum ternis initio assumtis V, T et R comparandis, inueniemus pro his viribus sequentes valores:

 1. pro-

1. pro directione MC vim V =

$$(M+L)\cos\psi + \frac{MC}{LS}.N + (S - \frac{CS}{LS}.N)\cos(\varphi-\theta)$$

2. pro directione MQ vim $T = -(S - \frac{CS}{LS}.N)\sin(\varphi-\theta)$

3. pro directione LM vim $R = (M+L)\sin\psi + \frac{LM}{LS}.N.$

Cum nunc sit $CM = x$, $CS = y$, et angulus $SCM = \varphi - \theta$; erit $MS = \sqrt{(xx - 2xy\cos(\varphi-\theta) + yy)}$, et ob $LM = x\tang\psi$ erit $LS = \sqrt{(yy - 2xy\cos(\varphi-\theta) + xx\sec.\psi^2)}$, quae distantia Solis a Luna LS breuitatis gratia ponatur $= u$, vt sit $u = \sqrt{(yy - 2xy\cos(\varphi-\theta) + xx\sec.\psi^2)}$. His ergo valoribus introductis erunt vires nostrae:

1. $V = (M+L)\cos\psi + \frac{Nx}{u} + S\cos(\varphi-\theta) - \frac{Ny}{u}\cos(\varphi-\theta)$

2. $T = -S\sin(\varphi-\theta) + \frac{Ny}{u}\sin(\varphi-\theta)$

3. $R = -(M+L)\sin\psi + \frac{Nx\tang\psi}{u}$

§. 18. Quia nunc est $\tang\psi = \tang\varrho\sin(\varphi-\pi)$ et $\sin\psi = \tang\psi\cos\psi$ erit:

$$\frac{R}{\tang\varrho} = (M+L)\cos\psi\sin(\varphi-\pi) + \frac{Nx\sin(\varphi-\pi)}{u}$$

tum vero habebitur

$$V\sin(\varphi-\pi) + T\cos(\varphi-\pi) = (M+L)\cos\psi\sin(\varphi-\pi) + \frac{Nx\sin(\varphi-\pi)}{u}$$
$$+ S\cos(\varphi-\theta)\sin(\varphi-\pi) - \frac{Ny\cos(\varphi-\theta)\sin(\varphi-\pi)}{u}$$
$$- S\sin(\varphi-\theta)\cos(\varphi-\pi) + \frac{Ny\sin(\varphi-\theta)\cos(\varphi-\pi)}{u}$$

quae ob $\cos(\varphi-\theta)\sin(\varphi-\pi) - \sin(\varphi-\theta)\cos(\varphi-\pi) = \sin(\varphi-\pi)$, dat

V sin

$$V \sin(\varphi-\pi) + T\cos(\varphi-\pi) - \frac{R}{\tang \rho} = S\sin(\theta-\pi) - \frac{Ny}{u}\sin(\theta-\pi)$$

ex quo aequationes motum Lunae continentes erunt:

$$\text{I. } 2dxd\varphi + xdd\varphi = -\tfrac{1}{2}dt^2 \left(\frac{Ny}{u} - S\right)\sin(\varphi-\theta)$$

$$\text{II. } ddx - xd\varphi^2 = -\tfrac{1}{2}dt^2\left((M+L)\cos\psi + \frac{Nx}{u} - \left(\frac{Ny}{u} - S\right)\cos(\varphi-\theta)\right)$$

$$\text{III. } d\pi = -\tfrac{1}{2}dt^2 \cdot \frac{\sin(\varphi-\pi)\sin(\theta-\pi)}{x\,d\varphi}\left(\frac{Ny}{u} - S\right)$$

$$\text{IV. } d.\,l\tang\rho = \frac{d\pi}{\tang(\varphi-\pi)}$$

vbi $\theta - \pi$ exprimit angulum ☊ CS seu distantiam Solis a nodo ascendente.

§. 19. Jam secundum Theoriam Newtoni, si massam Terrae ponamus $=$ ♁ ac Lunae $=$ ☾, ob distantiam $CL = \frac{x}{\cos\psi}$, foret vis $M = \frac{♁\cos\psi^2}{xx}$ et vis $L = \frac{☾\cos\psi^2}{xx}$, sicque vis tota $M+L = (♁ + ☾) \cdot \frac{\cos\psi^2}{xx}$. Quo autem, si forte haec Theoria insufficiens deprehendatur, rem generalius complectamur, ponamus hanc vim:

$$M + L = (♁ + ☾)\cos\psi^2 \left(\frac{1}{xx} - \frac{1}{bb}\right)$$

vbi terminus $\frac{1}{bb}$ defectum huius vis a Theoria Newtoniana exhibeat; qui cum sit minimus, pro constanti haberi poterit saltem pro exigua variabilitate, quam distantia x subit. Vim autem Solis exacte Theoriae Newtonianae conformem assumere poterimus; quoniam etiamsi inde recederet, differentia non solum foret quam minima, sed quia pro Luna aeque discreparet ac pro Terra, in nostris formulis nullius plane esset momenti.

§. 20. Posita ergo Solis massa $= \odot$, erit vis, qua Terram ad se attrahit $S = \frac{\odot}{yy}$, vis autem qua Lunam ad se trahit $N = \frac{\odot}{uu}$. His ergo valoribus virium in calculum inductis, motus lunae ex quatuor sequentibus aequationibus determinari debet:

$$\text{I. } 2dx d\varphi + x dd\varphi = -\tfrac{1}{2} dt^2 \left(\frac{\odot y}{u^3} - \frac{\odot}{yy}\right) \sin(\varphi - \theta)$$

$$\text{II. } ddx - x d\varphi^2 = -\tfrac{1}{2} dt^2 (\text{♁} + \text{☾}) \cos\psi^2 \left(\frac{1}{xx} - \frac{1}{bb}\right)$$
$$- \tfrac{1}{2} dt^2 \left(\frac{\odot x}{u^3} - \frac{\odot y}{u^3}\cos(\varphi - \theta) + \frac{\odot}{yy}\cos(\varphi - \theta)\right)$$

$$\text{III. } d\pi = -\tfrac{1}{2} dt^2 . \frac{\sin(\varphi - \pi)\sin(\theta - \pi)}{x d\varphi} \left(\frac{\odot y}{u^3} - \frac{\odot}{yy}\right)$$

$$\text{IV. } d.\, l \tan \rho = \frac{-d\pi}{\tan(\varphi - \pi)}$$

Hic iam primum curandum est, vt elementum temporis, quod est quantitas heterogenea, ex calculo eliminemus; id quod commodissime fiet, si motum medium solis vtpote tempori proportionalem, loco temporis in calculum introducemus.

§. 21. Cum igitur etiam motus Solis in his aequationibus sit ratio habenda, eum prius inuestigemus: et quoniam pro terra quiescente Sol a sola vi $\frac{\odot}{yy}$ ad terram

ram sollicitari concipiendus est, si formulas pro luna inuentas ad solem accommodemus, obtinebimus:

$$2\,dy\,d\theta + y\,dd\theta = 0$$

$$ddy - y\,d\theta^2 = -\tfrac{1}{4}\,dt^2 . \frac{\odot}{yy}$$

si iam distantiam Solis a terra mediam ponamus $= b$ ejusque anomaliam mediam $= q$; casu quo excentricitas orbitae solaris esset nulla, foret semper $y = b$ & $d\theta = dq$: vnde altera aequatio dabit $-b\,dq^2 = -\tfrac{1}{4}\,dt^2 . \frac{\odot}{bb}$. Quare loco elementi temporis dt elementum anomaliae mediae solis ita in calculum introduci debet, vt vbique loco $\tfrac{1}{4}\,dt^2$ scribatur $\frac{b^3\,dq^2}{\odot}$, id quod tam in his formulis pro Sole, quam in superioribus pro Luna fieri poterit.

§. 22. Cum iam b denotet distantiam solis a terra mediam, sit eius vera distantia $y = b\,\omega$, et anomalia eius vera $= s$, erit $d\theta = ds$, quandoquidem a motu apogei solis animum abstrahimus. Hinc itaque erit

$$2\,d\omega\,ds + \omega\,dds = 0$$

$$dd\omega - \omega\,ds^2 = -\frac{dq^2}{\omega\omega},$$

quarum prior integrata dat $\omega\omega\,ds = C\,dq$ ob dq constans, ideoque $\omega\,ds^2 = \frac{CC\,dq^2}{\omega^3}$; qui valor in altera aequatione substitutus praebet,

$$dd\omega = \frac{CC\,dq^2}{\omega^3} - \frac{dq^2}{\omega\omega}.$$

quae

quae per $2\,d\omega$ multiplicata et integrata dat:

$$\frac{d\omega^2}{dq^2} = D - \frac{CC}{\omega\omega} + \frac{2}{\omega}$$

vnde fit $dq = \frac{\omega\, d\omega}{\sqrt{(D\omega\omega + 2\omega - CC)}}$

ac proinde $ds = \frac{C\, d\omega}{\omega \cdot \sqrt{(D\omega\omega + 2\omega - CC)}}$

§. 23. Quanquam autem hinc valores finiti haud difficulter deduci possent, tamen alia vtar methodo, quae in motu Lunae maiorem praestabit vtilitatem. Inuento autem $\omega\omega\, ds = C\, dq$, alteram aequationem ita transformo, vt elementi constantis dq ratio non amplius habeatur:

$$dq.\, d.\frac{d\omega}{dq} - \omega\, ds^2 = - \frac{dq^2}{\omega\omega}$$

Sit nunc $\omega = \frac{1}{u}$, vt habeat $ds = C\, uu\, dq$, et $d\omega = - \frac{du}{uu}$, et ob $dq = \frac{ds}{Cuu}$ erit $\frac{d\omega}{dq} = - \frac{C\,du}{ds}$; hinc sumto iam elemento ds constante, erit

$$\frac{-d's}{Cuu} \cdot \frac{C\,ddu}{ds} - \frac{ds^2}{u} = - \frac{ds^2}{CCuu} \text{ seu}$$

$$ddu + u\,ds^2 = \frac{ds^2}{CC}$$

vnde statim elicitur $u = \frac{1 - e \cos s}{CC}$, vbi e excentricitatem orbitae solaris indicabit.

§. 24. Hinc porro habebitur $\omega = \frac{CC}{1 - e\cos s}$, et $y = \frac{CCb}{1 - e\cos s}$, anomalia vera s ab apogeo computata; vnde distantia apogei

apogei a terra posito $s = 0$ erit $= \frac{CCb}{1-e}$, et distantia perigei posito $s = 180°$ prodit $= \frac{CCb}{1+e}$; sicque distantia media media fiet $= \frac{CCb}{1-ee}$, quae cum per hypothesin aequalis esse debeat ipsi b, statui oportet $CC = 1-ee$: hincque erit

$$y = \frac{b(1-ee)}{1-e\cos s} \quad \text{et} \quad \omega = \frac{1-ee}{1-e\cos s}$$

Porro autem aequatio $\omega\omega\, ds = C\, dq = dq\sqrt{(1-ee)}$ abibit in hanc:

$$dq = \frac{(1-ee)^{\frac{3}{2}}\, ds}{(1-e\cos s)^2} \quad \text{et} \quad q = \int \frac{(1-ee)^{\frac{3}{2}}\, ds}{(1-e\cos s)^2}$$

ex qua, vti satis constat, vel data anomalia vera s inueniri potest anomalia media q, vel vicissim. His itaque formulis motum Solis continentibus in determinatione motus Lunae vtamur.

§. 25. Primo ergo loco $\frac{1}{2}dt^2$ vbique scribamus $\frac{b^3\, dq^2}{☉}$ et $b\omega$ loco y, quo facto nostrae aequationes fient

$$\text{I. } 2\,dx\,d\Phi + x\,dd\Phi = -b^3 dq^2 \left(\frac{b\omega}{u^3} - \frac{1}{bb\omega\omega}\right) \sin(\varphi-\theta)$$

$$\text{II. } ddx - x\,d\Phi^2 = -\frac{(♁+☾)\, b^3 dq^2}{☉} \cos\psi^3 \left(\frac{1}{xx} - \frac{1}{bb}\right)$$

$$-b^3 dq^2 \left(\frac{x}{u^3} - \frac{b\omega\cos(\Phi-\theta)}{u^3} + \frac{\cos(\varphi-\theta)}{bb\omega\omega}\right)$$

$$\text{III. } d\pi = -b^3 dq^2 . \frac{\sin(\Phi-\pi)\sin(\theta-\pi)}{x\,d\Phi} \left(\frac{b\omega}{u^3} - \frac{1}{bb\omega\omega}\right)$$

Ponatur porro $u = bv$, adque in calculum quoque introducatur distantia media lunae a terra, quae sit $= a$, positoque $x = az$, prodibit:

$$\text{I. } 2dzd\varphi + zdd\varphi = -\frac{bdq^2}{a}\left(\frac{\omega}{v^3} - \frac{1}{\omega\omega}\right)\sin(\varphi - \theta)$$

$$\text{II. } ddz - zd\varphi^2 = -\frac{(\text{♁} + \text{☾})\,b^3}{\odot\, a^3}\,dq^2 \cos\psi^3\left(\frac{1}{zz} - \frac{aa}{bb}\right)$$
$$- \frac{zdq^2}{v^3} + \frac{b\omega dq^2 \cos(\varphi - \theta)}{av^3} - \frac{bdq^2 \cos(\varphi - \theta)}{a\omega\omega}$$

$$\text{III. } d\pi = -\frac{bdq^2}{azd\varphi}\sin(\varphi - \pi)\sin(\theta - \pi)\left(\frac{\omega}{v^3} - \frac{1}{\omega\omega}\right)$$

§. 26. Ponamus nunc ad abbreuiandum:

$\frac{(\text{♁} + \text{☾})\,b^3}{\odot\, a^3} = m$; $\frac{(\text{♁} + \text{☾})\,b^3}{\odot\, abb} = \mu$, seu $\mu = \frac{maa}{bb}$ quarum litterarum valores m et μ per obseruationes definiri debent; tum vero sit $\frac{a}{b} = \nu$, quae est quantitas valde parua a parallaxi solis pendens. Hisque valoribus introductis, aequationes nostrae sequentes induent formas:

$$\text{I. } 2dzd\varphi + zdd\varphi = -\frac{1}{\nu}dq^2\left(\frac{\omega}{v^3} - \frac{1}{\omega\omega}\right)(\sin\varphi - \theta)$$

$$\text{II. } ddz - zd\varphi^2 = -\frac{mdq^2\cos\psi^3}{zz} + \mu dq^2\cos\psi^3$$
$$- \frac{zdq^2}{v^3} + \frac{1}{\nu}dq^2\left(\frac{\omega}{v^3} - \frac{1}{\omega\omega}\right)\cos(\varphi - \theta)$$

$$\text{III. } d\pi = -\frac{dq^2}{\nu zd\varphi}\sin(\varphi - \pi)\sin(\theta - \pi)\left(\frac{\omega}{v^3} - \frac{1}{\omega\omega}\right)$$

$$\text{IV: } d.\,l\tan\rho = \frac{d\pi}{\tan(\varphi - \pi)}$$

§. 27.

§. 27. Cum iam posuerimus:

$$x = az;\quad y = b\omega;\quad v = \frac{u}{b} \quad \text{et} \quad \nu = \frac{a}{b}$$

erit $u = \sqrt{(bb\omega\omega - 2ab\omega z \cos(\phi - \theta) + aazz \sec. \psi^2)}$
atque $v = \sqrt{(\omega\omega - 2\nu\omega z \cos(\phi - \theta) + \nu\nu zz \sec. \psi^2)}$
vbi notandum est quantitates ω, q et s ex motu solis ita inter se pendere, vt sit

$$\omega = \frac{1 - ee}{1 - e\cos s} \quad \text{et} \quad dq = \frac{(1 - ee)^{\frac{3}{2}} ds}{(1 - e\cos s)^2} = \frac{\omega\omega ds}{\sqrt{(1 - ee)}}$$

ita vt huic ad datum quoduis tempus tam valor ipsius ω quam anomaliae verae s definiri possit. Modum autem has formulas ad calculum reuocandi hic non trado, quia eum alias fusius iam exposui: hoc solum hic notari conveniet, excentricitatis orbitae solaris valorem ex obseruationibus colligi $e = 0,01680$.

§. 28. Nunc antequam vlterius progredi queamus, valorem irrationalem ipsius v tolli conueniet, quod facile per seriem praestabitur maxime conuergentem, ob ν fractionem valde paruam; sumta enim parallaxi solis $= 12''$, quia parallaxis lunae media est $= 3380''$, erit $\frac{a}{b} = \nu = \frac{12}{3380} = \frac{1}{282}$. Hinc sufficit seriei illius conuergentis, quam reperiemus, aliquot tantum terminos ab initio assumsisse; quia reliqui ob paruitatem continuo magis crescentem tuto omitti poterunt. Cum autem angulus $\phi - \theta$, qui distantiam solis a luna secundum longitudinem denotat, in hac resolutione frequentissime occurret, breuitatis gratia ponamus $\phi - \theta = \eta$
ita vt pro v sequentem habeamus valorem irrationalem

$$v = \sqrt{(\omega\omega - 2\nu\omega z \cos\eta + \nu\nu zz \sec. \psi^2)}.$$

§. 29. Quoniam ergo in nostris formulis occurrit $\frac{1}{v^3}$ ob $\frac{1}{v^3} = (\omega\omega - 2v\omega z \cos\eta + vvzz \sec\psi^2)^{-\frac{3}{2}}$, nanciscemur

$$\frac{1}{v^3} = \frac{1}{\omega^3} + \frac{3vz\cos\eta}{\omega^4} - \frac{3vvzz\sec.\psi^2}{2\omega^5} + \frac{15vvzz}{2\omega^5}\cos\eta^2$$

vbi terminos altiores ipsius v potestates inuoluentes sine haesitatione reiicere possumus; in ipsis aequationibus autem tantum in prima ipsius v potestate subsistemus. Habebimus ergo:

$$\frac{1}{v}\left(\frac{\omega}{v^3} - \frac{1}{\omega\omega}\right) = \frac{3z\cos\eta}{\omega^3} + \frac{3vzz}{2\omega^4}(5\cos\eta^2 - \sec.\psi^2) \text{ seu}$$

$$\frac{1}{v}\left(\frac{\omega}{v^3} - \frac{1}{\omega\omega}\right) = \frac{3z\cos\eta}{\omega^3} + \frac{3vzz}{4\omega^4}(5 + 5\cos 2\eta - 2\sec.\psi^2)$$

hincque porro:

$$\frac{1}{v}\left(\frac{\omega}{v^3} - \frac{1}{\omega\omega}\right)\sin(\varphi - \theta) = \frac{3z\sin 2\eta}{2\omega^3} + \frac{3vzz}{8\omega^4}(5\sin\eta + 5\sin 3\eta - 4\sin\eta\sec.\psi^2)$$

$$\frac{1}{v}\left(\frac{\omega}{v^3} - \frac{1}{\omega\omega}\right)\cos(\varphi - \theta) = \frac{3z}{2\omega^3}(1 + \cos 2\eta) + \frac{3vzz}{8\omega^4}(15\cos\eta + 5\cos 3\eta - 4\cos\eta\sec.\psi^2)$$

$$\text{atque } \frac{z}{v^3} = \frac{z}{\omega^3} + \frac{3vzz}{\omega^4}\cos\eta$$

§. 30. Substituamus hos valores in nostris aequationibus atque obtinebimus:

$$\text{I. } 2dz\,d\varphi + z\,dd\varphi = -dq^2\left(\frac{3z\sin 2\eta}{2\omega^3} + \frac{3vzz}{8\omega^4}(5\sin\eta + 5\sin 3\eta - 4\sin\eta\sec.\psi^2)\right)$$

$$\text{II. } ddz - z\,d\varphi^2 = -\frac{m\,dq^2\cos\psi^3}{zz} + \mu\,dq^2\cos\psi^3 + \frac{z\,dq^2}{2\omega^3} + \frac{3z\,dq^2}{2\omega^3}\cos 2\eta$$
$$+ \frac{3vzz\,dq^2}{8\omega^4}(7\cos\eta + 5\cos 3\eta - 4\cos\eta.\sec.\psi^2)$$

III. dx

III. $d\pi = -\frac{dq^2}{2d\Phi}\sin(\varphi-\pi)\sin(\theta-\pi)\left(\frac{3z\cos\eta}{\omega^3} + \frac{3vzz}{4\omega^4}(5 + 5\cos 2\eta - 2\,\mathrm{sec.}\,\psi^2)\right)$

IV. $d.\,l\,\mathrm{tang}\,\varrho = \frac{d\pi}{\mathrm{tang}\,(\Phi-\pi)}$.

Hic iam obſervare licet, cum angulus ψ nunquam fere 5° ſuperet, eiusque ſecans nonniſi in terminis iam per v multiplicatis, ac propterea reſpectu reliquorum valde parvis occurrat, ſine vllius erroris ſenſibilis metu in his terminis poni poſſe ſec. $\psi = 1$.

§. 31. Deinde vt etiam ex maioribus terminis coſ ψ eliminemus; conſideremus formulam $\mathrm{tang}\,\psi = \mathrm{tang}\,\varrho\,\sin(\Phi-\pi)$, eritque $\mathrm{sec.}\,\psi = \frac{1}{\cos\psi} = \sqrt{(1+\mathrm{tang}\,\varrho^2\sin(\Phi-\pi)^2)}$

Hinc ergo habebimus:

$$\cos\psi^3 = (1 + \mathrm{tang}\,\varrho^2 . \sin(\Phi-\pi)^2)^{-\frac{3}{2}}$$

et cum tang ϱ^2 nunquam fere fractionem $\frac{1}{114}$ ſuperet erit ſatis exacte:

$$\cos\psi^3 = 1 - \tfrac{3}{2}\,\mathrm{tang}\,\varrho^2 . \sin(\Phi-\pi)^2 \text{ — vel etiam}$$
$$\cos\psi^3 = 1 - \tfrac{3}{4}\,\mathrm{tang}\,\varrho^2 + \tfrac{3}{4}\,\mathrm{tang}\,\varrho^2\cos 2(\Phi-\pi)$$

qui valor pro coſ ψ^3 in termino maiore $\frac{m\,dq^2\cos\psi^3}{zz}$ ſubſtitui poteſt: in altero autem termino $\mu\,dq^2\cos\psi^3$ quia per ſe eſt valde paruus, atque adeo ſecundum Theoriam Newtoni euaneſceret, nihil impedit, quo minus loco coſ ψ^3 ſcribamus vnitatem.

§. 32. Hoc ergo modo ſi aequationes noſtras a conſideratione latitudinis Lunae ψ liberemus ad ſequentes perueniemus aequationes:

$$\text{I. } 2dzd\Phi + zdd\Phi = -dq^2\left(\frac{3x\sin 2\eta}{2\omega^3} + \frac{3yzz}{8\omega^4}(\sin\eta + 5\sin 3\eta)\right)$$

$$\text{II. } ddz - zd\Phi^2 = -\frac{mdq^2}{zz}\left(1 - \tfrac{3}{2}\operatorname{tang}\rho^2 + \tfrac{3}{2}\operatorname{tang}\rho^2\cos 2(\Phi-\pi)\right) + \mu dq^2$$
$$+ \frac{zdq^2}{2\omega^3} + \frac{3zdq^2}{2\omega^3}\cos 2\eta + \frac{3yzzdq^2}{8\omega^4}(3\cos\eta + 5\cos 3\eta)$$

$$\text{III. } d\pi = -\frac{dq^2}{zd\Phi}\sin(\Phi-\pi)\sin(\theta-\pi)\left(\frac{3x\cos\eta}{\omega^3} + \frac{3yzz}{4\omega^4}(3+5\cos 2\eta)\right)$$

$$\text{IV. } d.\,l\operatorname{tang}\rho = \frac{d\pi}{\operatorname{tang}(\Phi-\pi)}.$$

Nunc igitur in hoc erit incumbendum, vt ex his quatuor aequationibus omnia motus phaenomena, quae in Luna ſecundum Theoriam adeſſe debent, ſollicite eruantur, atque tum cum obſeruationibus conferantur.

CAPUT

CAPUT III.

INTRODUCTIO ANOMALIAE VERAE LUNAE IN PRAECEDENTES AEQUATIONES.

§. 33.

Quoniam noſtra quaeſtio circa Lunam verſatur, loco anomaliae mediae ſolis, quam pro tempore in calculum introduximus, magis conueniet motu Lunae medio vti, qui itidem tempori eſt proportionalis. Verum ex ſequentibus patebit calculum commodiorem reddi, ſi loco motus medii adhibeamus anomaliam Lunae mediam, cuius incrementa itidem tempori ſunt proportionalia. Sit itaque ad datum tempus anomalia media Lunae $= p$; et cum eius incrementum dp ad incrementum anomaliae mediae ſolis eodem tempuſculo acceptum datum ac per obſeruationes cognitam teneat rationem, ponamus $dp = ndq$. Tabulae autem Aſtronomicae pro interuallo 365 dierum praebent:
Motum anomaliae mediae Solis $11^s, 29^\circ, 44', 39'' = 1295079''$
Motum anomaliae mediae Lunae

$13^{Rev.}\ 2^s, 28^\circ, 43'\ 13'' = 17167393''$

vnde fit $n = \frac{17167393}{1295079} = 13,25586$

§. 34. Poſito ergo $\frac{dp}{n}$ loco dq, aequationes noſtrae erunt

$$\text{I. } 2dzd\Phi + zdd\Phi = -\frac{dp^2}{nn}\left(\frac{3x\sin 2\eta}{2\omega^3} + \frac{3vzz}{8\omega^4}(\sin\eta + 5\sin 3\eta)\right)$$

II. ddz

$$\text{II. } ddz - zd\Phi^2 = -\frac{mdp^2}{nnzz}(1 - \tfrac{3}{4}\operatorname{tang}\varrho^2 + \tfrac{3}{4}\operatorname{tang}\varrho^2 \cos 2(\Phi - \pi)) + \frac{\mu dp^2}{nn}$$

$$+ \frac{zdp^2}{2n^2\omega^3} + \frac{3zdp^2}{2n^2\omega^3}\cos 2\eta + \frac{3vzzdp^2}{8nn\omega^4}(3\cos\eta + 5\cos 3\eta)$$

$$\text{III. } d\pi = \frac{-dp^2}{nnzd\Phi}\sin(\Phi - \pi)\sin(\theta - \pi)\left(\frac{3z\cos\eta}{\omega^3} + \frac{3vzz}{4\omega^4}(3 + 5\cos 2\eta)\right)$$

$$\text{IV. } d.\, l\operatorname{tang}\varrho = \frac{d\pi}{\operatorname{tang}(\Phi - \pi)}$$

atque hic elementum dp aſſumtum eſt conſtans: ſimul autem patet terminos, qui per nn ſunt diuiſi, prae ceteris ſatis eſſe paruos, cum ſit $nn = 175, 71795$. Quae circumſtantia ſequentes approximationes non mediocriter adiuuabit.

§. 35. Nunc antequam vlterius progrediamur, aequationem primam per z multiplicemus, atque integratione in priori parte inſtituta obtinebimus

$$zzd\Phi = Cdp - \frac{dp}{nn}\int dp\left(\frac{3z^2\sin 2\eta}{2\,\omega^3} + \frac{3vz^3}{8\omega^4}(\sin\eta + 5\sin 3\eta)\right)$$

ponamus breuitatis gratia hoc membrum integrale

$$\int dp\left(\frac{3zz}{2\omega^4}\sin 2\eta + \frac{3vz^3}{8\omega^4}(\sin\eta + 5\sin 3\eta)\right) = S$$

quod integrale, ne introductio conſtantis incertitudinem pariat, ita capi aſſumo, vt nullum terminum mere conſtantem contineat, quippe qui iam in C eſſet comprehenſus. Hoc ergo circa determinationem integrationis probe obſeruato, erit $zzd\Phi = dp\left(C - \frac{S}{nn}\right)$: vbi terminus S aequabilem arearum deſcriptionem, quam Regula Kepleri in planetis primariis infert, perturbat; eſt enim

enim $\frac{1}{2} zz d\Phi$ elementum areae descriptae, quod si ipsi $C\,dp$ esset aequale, tempori exacte esset proportionale.

§. 36. Cum igitur sit $d\Phi = \frac{dp}{zz}\left(C - \frac{S}{nn}\right)$, erit $z d\Phi^2 = \frac{dp^2}{z^3}\left(CC - \frac{2}{nn} CS + \frac{1}{n^4} SS\right)$, quo valore substituto reliquae nostrae aequationes sequentes induent formas:

$$\text{II. } ddz = \frac{dp^2}{z^3}(CC - \frac{2}{nn} CS + \frac{1}{n^4} SS)$$
$$- \frac{m\,dp^2}{nnzz}(1 - \tfrac{1}{2}\operatorname{tang}\rho^2 + \tfrac{3}{2}\operatorname{tang}\rho^2 \cos 2(\Phi - \pi)) + \frac{\mu dp^2}{nn}$$
